



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

R. P. Ioannis Azorii Lorcitani, Societatis Iesv Presbyteri Theologi, Institvtiones Morales

In Qvibus Vnivers[a]e Qvaestiones ad Conscientiam recte aut prauè
factorum pertinentes, breuiter tractantur

Azor, Juan

Coloniae Agrippinae, 1602

27. Hostia pro peccato Principis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14077

Sexto Quaritur, Quo ritu, & cæremonia, Hostia pro peccato immolabatur? Respondeo: aut erat hostia pro peccato summi Sacerdotis, aut pro peccato Populi Principis, aut priuati hominis, & vnaquæque hostia diuersis ritibus, & cæremonijs immolabatur.

Caput XXVI.

Hostia pro peccato summi Sacerdotis.

Pro peccato Pontificis, mactabatur vitulus ex bobus. Leuit. 4. Et eam hostiam immolabat, teste Philone, summus Sacerdos: quamuis Abulesis solitam. Quicquid senserint isti, capiti ipsius vituli manum imponebat summus Sacerdos, qui pro suo peccato offerebat. Cædebatur vitulus extra tabernaculum in altari holocaustorum, quod erat ante ostium tabernaculi. Deinde, cratere excipiebatur pars aliqua sanguinis, & inferebatur in tabernaculum: & versus velum, quod pendeat ante Sanctum Sanctorum, aspergebatur septies, hoc est, perfecte, quia peccatum Pontificis grande censebatur, & ideo magna, & perfecta indigebat expiatione. Eademque ratione vitulus, qui est hircus, & oue maior, immolabatur. Eodem sanguine tingebantur cornua altaris Thymiamatis, & eorum reliquum sanguinem effundebat Sacerdos ad basim, hoc est, iuxta basim altaris holocaustorum. Adeps omnis, & renes, & retilum, quod est super eos, incendebantur in altari holocaustorum: pelles, & omnes carnes cum capite, pedibus, intestinis, & fimo, efferebantur extra castra, & mundo in loco exurebantur. Locus mundus quærebatur, quia id requirebat vitulus, qui erat Deo immolatus. Porro extra castra exurebantur, ad significandum, peccatum Pontificis, ita esse igni totum exustum extra castra, ut nihil in posterum populo nocere posset. Lapsus enim Sacerdotis, non est sine offensione populi; & ideo extra castra vitulus incenditur, ut nihil populum lædat; & ut qui populum offendit, excludatur à populo suum peccatum poena debita expiaturus. Nihil ex hac victima comedebatur, quoniam erat immolata pro tam grandi peccato Pontificis.

Caput XXVII.

Hostia pro peccato Principis.

Cædebatur hæc hostia videlicet hircus ex capris, id est, tener & optimus, & manum capiti eius Princeps imponebat. Princeps verò intelligebatur, siue Militæ Dux, siue Præfectus, vel caput totius ciuitatis, populi, vel familiae: Nō extra castra incendebatur hæc hostia, nec sanguis eius inferebatur in tabernaculum, quem admodum in priori, & sequenti sacrificio: quare extra tabernaculum sanguis aspergebatur, & eo tingebantur cornua altaris holocaustorum, non altaris incensis: non enim peccatum Principis erat tam grande, quam erat peccatum summi Sacerdotis, aut totius populi.

Caput XXVIII.

Hostia pro peccato Populi.

Leuit. 4. hæc hostia eodem ritu, & cæremonia, quæ victima pro peccato Pontificis, immolabatur; & ideo extra castra tota incendebatur in loco mundo, quia erat pro peccato totius populi; & propterea capiti victimæ seniores populi manum imponebant, quasi totus populus iram Dei deprecaretur, & auerteret à se.

Peccatum populi erat, cum omnes, vel maior populi pars peccasset. De his duabus hostijs intelligitur illud Pauli ad Hebræos scribentis: *quorum enim animalium inferitur sanguis pro peccato in sancta per Pontificem, horum corpora cremantur extra castra, quod quidem ex Leuit. 6. sumptum est, vbi legimus: Hostia enim, quæ caditur pro peccato, cum sanguis inferitur in tabernaculum testimonij, ad expiandum in sanctuario, non comedetur, sed comburetur igni.* Sanguis igitur aspergebatur versus velum pendens ante Sanctum Sanctorum, & cornua altaris Thymiamatis tingebantur, & reliquis totus sanguis fundebatur iuxta basim altaris holocaustorum.

Leuit. 16. legem Deus tulit, ut Sacerdos duos hircos à populo suscipiat pro peccato expiando, & vnum arietem in holocaustum, & mittat sortem super vtrumque hircum, vñ pro eo, qui mactandus erat pro peccato, alterum pro eo, qui erat abiiciendus in montem. Et cum mactauerit hircum pro peccato, inferat sanguinem eius intra velum, ut aspergat, & expiet sanctuarium ab immunditijs filiorum Israel. Et postquam mactauerit sanctuarium, tabernaculum, & altare, tunc offerat hircum alterum viuum, & postea vtraque manu super caput eius cõstretur omnes iniquitates filiorum Israel, & vniuersa delicta atque peccata eorum: quæ imprecans capiti eius, emittat illum per hominem ad id paratum in desertum: & portabit hircus omnes iniquitates eorum in solitudinem. Ex hac lege alter hircus immolabatur pro peccato: alter viuus quasi peccata populi portans, in solitudinem mittebatur, hoc est peccatorum poenas luebat pro populo. Magna profecto Dei benignitas, qui poenas, quas populus pro peccato soluere debebat, in caput hirci transferebat; & ut eas à populo remoueret, in solitudinem hircum abiici iubebat. Adumbratus est Christus, in quo, ut ait Isaias, Dominus posuit iniquitatem omnium nostrum, hircus dicebatur peccata populi portare, quia eo in solitudinem abiecto, peccata expiabantur, & dimittebantur.

Caput XXIX.

Hostia pro peccato priuati hominis.

Hæc victima Leuit. 4. mactabatur eodem ritu, quo victima pro peccato Principis: nisi quod poterat offerri minor hostia, videlicet mas vel femina ex capris. Comedebat Sacerdos, qui offerebat, ex hoc sacrificio. nam Leuit. 6. legimus: *Sacerdos, qui offert, comedit eam, victimam scilicet, Sacerdotè intelligit, qui ea hebdomada sa-*

Heb. 13.

cris